



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 154. Confoederati carduos pro lanceis habent

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. possent, eisque pro numeratis pecuniis
 A. C. 1465. annona suppeditaretur. Rex percepta hu-
 jus legationis summa Rothomago, ubi
 tum agebat, discessit, ruptaque omni mo-
 ra Lutetiam venire contendit; Ingredie-
 batur urbem die vigesima octava Augu-
 sti, opportuna sane festinatione usus; si
 enim unius bidui moram traxisset, ad-
 missis jamjam ad urbem Principibus, se
 accessu exclusum ingemuisset. Vix ur-
 bem ingressus, ab omnibus, qui Prin-
 cipum arbitrio nimia facilitate deservie-
 bant, debitas poposcit pœnas. Præter-
 ea Guilielmo Charterio Parisiensi Epis-
 copo vehementer indignabatur, eoquod
 hujus legationis provinciam in se suscipe-
 re non dubitasset; quosdam vero alios suis
 dignitatibus exuit, & quinque eorum
 exilio multavit, hos inter numeraba-
 tur Parochus Antisiodorensis S. Germa-
 ni, nomine Joannes Lullierus, & Joan-
 nes Chuartius regius civilium causarum
 Judex. Tanta Regis in puniendo leni-
 tas magnis celebrabatur encomiis.

§. CLIV.

*Confederati carduos pro lanceis
 habent.*

Interea temporis Principum foederato-
 rum exercitus indies numero, & ani-
 mo plurimum augebatur; Nemorsius e-
 nim

nim Dux, Comes Armeniacus, & Albrechtus cum sex Equitum millibus eisdem sese adjunxerant. Nihilominus, Cominæo teste, ad omnes Regii agminis motus adeo contremiscebant, ut nonnulli Equites, cum favente densissima caligine itinera versus Parisiensem urbem explorarent, ad castra reduces nuntiarent, se vidisse totum Regis exercitum in acies instructum, innumerasque lanceariorum copias; ad hunc rumorem communis erat foederatorum trepidatio, confestimque omnes ad arma clamare, urbi que propius accedere. Ast caligine discussa deprehendebant, quod fictitii lancearii, quos foederati Equites exploraverant, non nisi prominentes essent cardui. Ea res risu accepta, cachinis, sibilisque explosa est, omnesque ob annilis illusionis contumeliam pudore suffusi ad castra rediere.

§. CLV.

*Congressus Confluentinus Regem inter
& Carolesium Comitem.*

Ceterum de pace agi cæptum est, & quamvis utraque pars ad pugnandum obfirmatos ostenderet animos; nihilominus tamen neutra conditiones pacis averfari credebatur. Nam Regem anxiiis curis divexabant clandestina foedera-